

1/94

IDIBVS FEBRVARIIS

MCMXCIV

ARIUS  
OR VARIUS I  
MOR VARIUS I  
RMOR VARIUS I

RMOR VARIUS

RMOR VARIUS  
OR VARIUS  
A I I I

IMPRESSUM

RVMOR VARIUS a SOCIETATE LATINA  
TURICENSIS in aedibus AKADIS  
editur.

RVMOR VARIUS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr. 20.--
In Germania	DM 32.--
In Austria	öS 230.--
In ceteris Europae terris	sFr. 30.--
In terris trans maria sitis	US\$ 24.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic. phil.  
Dr. phil. Emanuel Bernard  
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Solothurn

Epistulae, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIUS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH - 8050 Zürich

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIUS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIUS wird von der SOCIETAS  
LATINA TURICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIUS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr. 20.--
Deutschland	DM 32.--
Oesterreich	öS 230.--
Uebrigas Europa	sFr. 30.--
Uebersee	US\$ 24.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic. phil.  
Dr. phil. Emanuel Bernard  
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIUS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH - 8050 Zürich

Bankverbindung:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIUS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Ex anno 1990° pretium subnotationis annuum RUMORIS VARIII non auximus. Nunc autem, post quattuor annos, pretiis omnium rerum constanter crescentibus coacti sumus RUMORIS VARIII subnotationis pretium quoque augere. Rogamus, ut intellegatis id necessarium esse et speramus vos pretium auctum benevolentes accepturos. Hac occasione iterum gratias maximas vobis nostro libello fidem servantibus agimus et maximam operam dabimus, ut RUMOR VARIUS futuris quoque temporibus vos delectet.



Ecce imago a Nicolao Raasch (Klaus Raasch) composita titulo "Iustitia et Pax altera alteram amplectitur". Quod maxime necessarium est nostra aetate, qua odium hominum aliarum nationum et pestes nationalismi et fanaticismi adhuc non superatae capita foedissima horribilissimaque attollunt.

Valete!

D. Wg  
Daniel Weissmann

## DE FERIIS AESTATIS PROCUL ACTIS NARRATUR

Uxor mea ferias aestatis domi agere non vult umquam. Itaque iam mensibus ante mihi persuadere incipit, ut ferias ibi agere, ubi illa velit, secum consentirem, neque est difficile illi, ut mihi persuadeatur. Etenim domi, id est Turici, manere semper praefero, cum urbs Turicum est illa urbs, quae omnium urbium, quas vidi, a me est amatissima. Attamen discordiam in matrimonio terribilem esse cum mihi sit persuasum, numquam litigo, sed paucis verbis factis me consentire affirmo, ut proficiscamur, quocumque uxor velit. Tum audire soleo, quem locum uxor ad ferias agendas proponat. Vere autem superioris anni exacto verbis uxoris auditis mirum mihi visum est, quod de feriis locuta est agendis in Canariis insulis. Unum tantum occurri interrogans: "Tam procul?" Et illa maiore voce: "Procul? Visne in Helvetia manere? Canariae insulae mihi aptae esse videntur, et eas tandem aliquando ipsam videre iam dudum sperabam. Quidnam contra dicis?" - "Ego nihil contra. Illuc proficiscamur! Eritne nobis satis pecuniae? Etenim heri vectigalia solvi."

"Noli tam stulte interrogare! Nam feriis agendis nobis pecuniae satis esse oportet." - "At noli oblivisci aeroplano nobis volandum esse!" - "Recte dicis. Eamus hodie ad officium nomine 'Hopla' et curemus profectionem, id est aeroplano volatum usque ad aeriportum 'Playa del Inglés'! Inde vectura automobili vehendum erit ad deversorium nostrum."

Ita factum est. Tribus diebus post in aeriportu 'Kloten' aeroplanum intravimus, quod intra horas quattuor ad aeriportum 'Playa del Inglés' nos transvexit. Inde taxiraeda ad deversorium nostrum pervenimus. Ibi esurientes sine mora triclinium intravimus, ubi hospites plerumque Hispanicos lingua sua loquentes audivimus. Atqui ab una mensa propinqua lingua nostra Helvetica aures nostras delectabat eosque extemplo interrogavimus, num duae sedes essent liberae. Comiter responderunt lingua nostra: "Sie sind frei (liberae sunt)." Quod non est lingua Helvetiae, sed Germaniae, attamen pro nobis erat lingua nostra. Itaque consedimus sine mora et urbane salutantes nostro sermone Helvetico et

gratias agentes, illi cordialiter subridebant nosque etiam subridentes nos illis obtulimus.

Cena habita quoque sermo noster perductus est usque ad mediam noctem, et quamvis hora progressa invitaret, ut cubitum iremus, aliud propositum receptum est inter nos nimis loquaces, ita ut multa nocte tandem alii alios valere iuberent.

Postero die satis mane in triclinio neminem nobis notum vidimus, et ientaculo habito in litus maris descendimus propinquum. Inde cum tempus esset splendidum, oram secuti sumus ambulantes plus quattuor stadiis, pedes nudos in aqua non profunda mergentes. Subito uxor mea se magnum videre piscem nobis appropinquantem exclamavit. Qua voce ego etiam experrectus sum et oculos in aquam verti. Nihil vidi nisi undas. Tum versus uxorem: "Delirasne? Magni pisces non appropinquant orae, quia in proximitate orae piscibus periculum instat, nullum lucrum."

"Recte dixisti. Non fuit piscis, sed umbra aliqua tantum."

Post deversorium nostrum, ubi saepe ientaculum habebamus, erat hortus, et in horto satis magna piscina. Ante meridiem solebamus saepe paulum natate, et puerulus nobiscum in horto erat, qui a parentibus nobis in custodia datus erat, dum abessent. Itaque cum puerulus saepe prope piscinam luderet parentibus eius absentibus, nos cautiores debebamus esse, ne in piscinam caderet. Clarum est nos socordes esse non potuisse, cum ille puerulus solus nobiscum prope piscinam luderet. Qua de causa magnam vacationem custodiae sentiebamus, cum non tam paulo post illi parentes cum puerulo suo domum abissent. Illis absentibus cum tandem aliquando liberi essemus providentia puerulo eorum habenda, totius diei facultatem habuimus, ita ut iam mane per oppidum ambularem, uxor mea fenestras tabernarum praesertim inspectans, ut semper est aliquid emendi cupida, at ego pulchras puellas oculis persequens, ut semper sum attentus ad feminarum pulchritudinem. Atqui uxor mea nihil emit neque ego nocte de puellis spectatis somniabam.

Neque multum aliter sequentes dies praeterierunt, cum nos, quamquam multis rebus visis nihil quasi ageremus praeter comedere, aquam bibere et in mari natate, et cum ultimus dies feriarum adesset, uxor mihi dixit: "Cur tam procul ab Helvetia, a domo nostra abiimus? Quod hic, in Canaria

insula, egimus, idem potuissemus etiam domi agere, quin etiam infuscari, sole infici, si in litore lacus nostri caelo sereno in harena iacuissemus."

"Recte dixisti, muliercula mea. At non ego te, sed tu me seduxisti, ut huc veniremus. Et cum in Canaria insula, procul ab Helvetia, ferias egimus, postea vicinis nostris narrare poterimus de feriis nostris tam procul actis. Estne hoc aliquid an est nihil?"

"Est aliquid" uxor mihi respondit.

Emanuel Bernard



## DENUNTIATIO

Quendam virum omnia sua plane latrones rapuere. Vir facto miratus stabat. Interea quidam ei amicus casu transit et cum afflictum vehementer invenisset, sedulo locutus est: "Quid est, quod tristiores te video?" Cui respondit: "Subito latrones mea omnia rapuerunt, fere nudus sum..." Amicus simplici loquela suasit: "Quin praetorianis aliquid refers?" Cui: "Nonne me vides? Non possum, quia nihil, ut dem, reliquere latrones."

Eustasius Sánchez Fernández-Villarán



## DE QUODAM MONACHI SOMNO

Ut solebat onere quotidiano gravatus quidam monachus noctu ad lectum perrexit, dormiebat, deinc sopitus est. Vices somni arte prostabant et somni ut spectaculum vitae. Experrectus eorum meminit, tunc et somnos fuisse intellexit, sic tempore opportuno ceteris enarrabat.

Quodam in monasterio, cuius nomen et locum nesciebat, abbatem mortuum et funera eius vidit. Ut mos monachorum successorem dederunt. Abbas iam erat, in primis sanctus, quare ubique de sanctitate hominum, de oratione, de sacramentis, de beatitudine abbas pectore toto loquebatur ac quam primum et monachi haec eodem modo sentire coepere et loqui. Omnes sancti cum religione magna et caritate. Monasterium sanctum gentes aperte nominabant et saepe saepissime videbant. Longe lateque fama sanctitatis horum monachorum seminabatur, tacite augebatur.

Complevit abbas dies suos atque ad superos lacrimis et planctu migravit suorum.


Regula moderante novum abbatem seligerunt: virum theologum vita sancta. In posterum theologiam et monachi omnes cum abbate aggrediebantur. Quam scientiam rei! Omnia hoc sensu in mentibus monachorum splendebant. Monasterium theologiae quam primum fiebat. Qui dubitatione turbabantur ad monasterium vere magistrum properabant. Nunc causa theologiae visitabant. At tempus abbas complevit, quia vitam complevit et mortuus. Dies tristes monachis theologiam adhuc cotidie loquentibus et argutiones retinentibus.

Factum est ut abbas electus esset. Modo vir philosophiae doctor. Philosophiam catholicam et monachos statim calere, strenue accepisse. Monasterium philosophorum cuidam fieri videbatur, et non errabant. Strenue omnes didicere. Tunc controversias etiam atque etiam nasci, inter monachos, inter visitatores, ore calamove: recte arguebatur, controvertiebantur sententiae atque opiniones. Quam monasterium! "Statutum est hominibus semel mori" (Sancti Pauli): et abbati.

Consuetudo monachorum alterum confecerunt abbatem. Nunc abbas lepidus, facetias referens, cachinnos continue narrans et nugas. Per dies, in dies hoc monasterium locus risus, locus leporis, locus laetitiae, contra fidem ne verbum quidem unum proclamantes, ergo qui oblectamentum loquela querebant ad monasterium nullo dubio properabant. Ad fines abbas moriebatur, monachi illacrimantes in terram corpus misere. Alterum seligendum successorem! Monachi, qui extra moenia loci nondum discessissent, numero exire incipiebant. Post hilaritatem monasterium profecto exinaniebatur.

En historia iam aliquorum saxorum, alicuius ruinae, quondam medulla vitae.

Eustasius Sánchez Fernández-Villarán



### DE ILLUSTRATIONIBUS ANATOMICIS

Illustratio anatomica est auxilium utilissimum ad studia medica. Chirurgia, quae se non modo strato superficiali continet, sed etiam in partes profundas corporis penetrare vult, illustrationibus correctis bene succedit. Quomodo eae imagines fiunt? Conditio sine qua non est: Secare corpora humana et investigare, ubi organa, vasa et cetera posita sint. Quod autem difficile obtineri potest: Exempli gratia apud Graecos prohibitum fuit, ne corpora mortuorum disseccarentur. Anatomia in simiis studenda erat. Sub regno Ptolemaeorum licuit anatomiam in hominibus studere. Sed Romani denuo sectionem humanam prohibuerunt.


Galenus, medicus imperatoris Marci Aureli, cuius auctoritas usque ad aetatem, quae Renascentia vocatur, non disputanda erat, magno opere (20'000 paginae) anatomiam Graecam tradidit. Sed ipse non secavit. Omnes res in libris antiquis legit et excerpsit. Interdum etiam erravit. Quos errores homines non correxerunt, sed putaverunt doctrinam eius veram esse.

Aetate media, quae vocatur, illustrationes anatomicae medicocres erant; illustratores saepe anatomiam omnino ignorabant et verba scriptorum non intellegebant.

Legite exempli gratia textum sequentem:

"Hystoria arteriarum enim pulsantium quorum unus (!) diffunditur in spondulos colli. et inde deducitur in faciem donec veniat ad tympus (= tempus, tempora) dextrum ubi colligatur. irrigat illud sicut collega eius irrigat sinistrum isdem collegarum rivus per collum funditur in intus et

venit in gargaleon et in caput et in cerebrum et est unus ex nutricibus venis. et ex ipso procedit ramusculus apprens in gutture extrinsecus Kursus lacta(ns) cerebrum. alia vana epatis quae circumdat humerum. desuper. et ipsas procedit alia magna vena quae descendit iuxta cor. usque fragma sinistrum. et aequaliter operatur in sinistro latere sicut in dextra. Iterum procedit ex ista vena cum de epate egreditur alius ramus quae vadit in partes epatis et stomachi. et annectitur cum collega suo supra intestina usque deorsum et coniungitur cum venis coxe donec perveniat ad plantam pedis et sic per omnem compaginem pedis quae nutriunt cerebrum apparent hic et nutriunt cerebrum."




Omnis, qui disciplinas, quae naturae investigatione continentur, non ignorant eas disciplinas eius aetatis non perfectas fuisse intellegere potest. (Sed cogitate: 'Arteria', vocabula originis Graeci sunt: 'ἀρτή' et 'τηρέειν' radices sunt. Ergo 'arteria' theodisce 'Luftgefäß' significat. Post mortem in hominum corporibus muscoli vasorum contrahuntur et sanguis in venas coagitur. Ergo observatoribus arteriae plenae aeris esse parent. Eo modo physiologia antiqua in nomenclatura moderna conservatur!).

Demum anno 1240° p. Chr. n. Fredericus II medicos anatomiae obligavit. Anno 1315° primo corpora humana insecta sunt. Pontifex Sixtus IV, qui ipse Bolognae litteris studuerat, anno 1471° corpora humana aperire concessit. Eo modo viam fecit viris illustribus sicut Leonardo da Vinci et A. Vesalio.

Auctoritas illius Galeni scientiae impedimento magno fuit: Ut iam scriptum est, quasi sancta erat. sed contradictiones inter doctrinam Galenicam et observationes in sectionibus factas anno 1525° demum superatae sunt, cum editio princeps operum Galeni critica facta est.


Primis sectionibus factis imagines etiam emendatae sunt. Spectate exempli gratia eam illustrationem ab Lorenz Phryes anno 1518° factam:



Apparet quam imaginem, quamvis non sine vitiis sit, non fieri posse sine studiis in corporibus factis. Memoratu dignum est hepar quinquepartita esse; estne relictum doctrinae Galeni?

Sed alia res apparet: Homines aetatis, quae Renascentia vocatur, figuras describentes non superficiem (ut in aetate, quae media vocatur) eminentiorum fecisse, sed spatium. A quo initio usque ad nostrum aetatem progressionem illustrationum anatomicarum persequi possumus; hodie in grado submicroscopico investigamus. Sed finis non mutatus est: Finis rerum naturam explorandi.

Christian Lanz



## Facete lepideque dicta

Sulpicius inter amicos in taberna sedens: "Hodie in officio (1) collega quidam me hominem cholericum esse dixit." Unus amicorum interrogavit: "Quid id est: 'homo cholericus'?" Tum Sulpicius: "Ego quoque nescio. Sed ad omnes casus ei colaphum dedi."

"Inseruisti - ut dixisti - actis diurnis (2) nuntium vos officinae vestrae vigilem nocturnum quaerere. Fuitne efficax inseratum?"

"Maxime. Nocte proxima effractarii apud nos irruperunt!"

"Libentissime hoc castellum emerem", millionarius inquit, "sed hic larvae lemuresque esse dicuntur." Ad quae possessor castelli: "Equidem adhuc numquam larvas vel lemures vidi, et iam 430 annos hic habito."

Vinarius propter vinum adulteratum accusatus ad iudicem: "Innocens sum, domine iudex. Liberi mei aquam in vinum fuderunt."

Tum iudex liberos testes adhibitos interrogavit: "Fudistisne aquam in vinum?" Liberi: "Ita est. Lusimus negotia imitantes." Iudex: "Et quae negotia imitati estis?" Liberi: "Negotia vinarii."

Iudex ad accusatum: "Affirmas igitur homines pilulis, quas conficis, immortales reddi; dic mihi, iamne antea condemnatus es umquam?"

Accusatus: "Ita est, domine iudex. Primum anno 1653°, deinde anno 1741°!"

Aliqui vir aliquando ad pastorem veniens confessus est se mala conscientia vexari. Pastor: "Qua de causa id? Dic mihi, mi fili." - "In bello hominem, quem persecuti erant, in domo mea abscondidi." - "Sed id bonum factum est." - "Certo, sed pecuniam ab eo petivi, 50 francos pro die." - "Scilicet id factum bonum paululo minuit, tamen..." - "Dolet mihi ea nondum omnia esse", interrumpens dicit ille homo 'beneficus'. "Sed adhuc ei non dixi bellum iam diu confectum esse."

\* \* \* \* \*

Carolus Chaplinum (Charlie Chaplin), celeberrimum illum actorem et dispositorem cinematographicum (3), maximo ardore venatum iisse notum est. Aliquando in Francogallia indagini interfuit et mala fortuna uni venatorum nonnulla grana globulorum (4) per errorem sclopetans in culum misit. "Maxime doleo", se excusavit. "Hic parvum emplastrum tibi praebeo." His verbis Chaplin venatori vulnerato nonnullas chartas nummarias quasi pecuniam pro dolore accepto dedit et: "Postridie", inquit, "te visitabo, ut videam, quomodo valeas."

Tum venator callidus: "Maxime gaudeo, quod me visitaturus es. Et ista occasione emplastrum reficere poterimus..."

Aliquando dispositio cinematographicus (3) Italicus Vittorio de Sica cum uxore valde invida acerrime altercabatur.

Eam lenire conatus est, sed uxor exclamavit: "Noli mihi imponere! Omnes actores perfidi sunt!" - "Si ita est, cur igitur mihi nupsisti?" de Sica interrogavit. Uxor: "Quod omnes critici scripserunt te actorem non esse!"

Robertus Oppenheim, physicus Americanus, opinatus erat scientificos nostra aetate vix valere ad cursum rerum humanarum flectendum vel mutandum et imprimis eis nullam potestatem esse belli impediendi. Amicus, qui aliter sentiebat, contra dixit: "Num his dictis affirmare velis novissimos eventus litterarum rerum humanarum progressum non attulisse?" Subridens Oppenheim respondit: "Progressus? Qui nihil aliud est nisi nos curas nostras veteres cum novis plus complicatis commutavisse."

Officiarius delectum habens e tirone futuro quaesivit: "Quo negotio in militia fungi vis?" Ille: "Imperatoris." Tum officarius: "Esne mente captus et deliras?" Tiro: "Qua de causa? Estne id plane necessarium ad hunc gradum?"

Leonardus Bernstein, Carolus Böhm et Herbertus von Karajan, illi celeberrimi moderatores musicorum (5), disputaverunt de quaestione, quis ipsorum optimus et maximus moderator musicorum esset. Primus Carolus Böhm: "Identidem acti diurni (2) testantur confirmantque", ait, "me maximum moderatorem nostrae aetatis esse." Tum Leonardus Bernstein: "Et mihi Deus ipse visus est dicens: 'Leonarde, tu omnium moderatorum optimus es!'" Ad quae Herbertus von Karajan: "Quid me dixisse contendis?"

Iuvenis poeta fabulis compositis praefecto theatri opus titulo 'Qua de causa adhuc vivo?' ad probandum misit. Decem dies post manuscriptum suum ei remittitur notitia praefecti: "Quod non ipse venisti, sed opus tuum per cursum publicum misisti!"

"Non idealista sum", Iaponicus Susuma Tonegawa praemio Nobeliano medicinae ornatus explicavit, cum diurnarii (6) eum de opinione de rebus humanis rogarent. "Omnes idealistas, quos novi, puto affirmare posse odorem rosae iucundiorum esse quam odorem piscis et propterea meliorem sorbitionem (7) e rosis quam e piscibus coqui posse."

Eruditus Americanus, cuius investigationes de telepathia et de arte hypnosis pernotae erant, aliquando in coenautocine-  
to sedens conatus est artem suam temptare. Itaque tota  
mente cogitationes in feminam ante se sedentem direxit et  
"Respice ad me!" multum tempus oculis in eius cervices  
conversis cogitavit. Sed mulier huic experimento apta non  
videbatur, et nihil factum est. Postremo doctus iratus est  
et cogitavit: "Verte te tandem ad me, vetus capra obstina-  
ta!" Tum praeter spem femina respexit. Doctus erubescens et  
turbatus balbus dixit: "Veniam peto, id cogitare nolui."

1 officium	Büro/ bureau/ ufficio/ officina/ office
2 acta diurna n. pl.	Zeitung/ journal/ giornale/ diario /newspaper
3 dispositio cinematographica	Regisseur/ cinéaste/ regista/ di- rector/ director
4 grana globulorum	Schrot/ grains de plomb/ pallini/ perdigones/ bird shot
5 moderator musicorum	Dirigent/ chef d'orchestre/ direc- tore d'orchestra/ director de or- questa/ conductor
6 diurnarius	Reporter/ reporter/ cronista/ re- portero/ reporter
7 sorbitio, -ionis f	Suppe/ potage/ zuppa/ sopa/ soup

Daniel Weissmann



## SOLUTIO

Ecce solutio aenigmatis logici paginae 121 libelli 5+6/93:

Botanico dicendum est: "Me suspendetis." Nunc sultanus  
eum dimittere debet. Si enim botanicus suspenderetur, verum  
dixisset et propterea oportebat ei caput praecidi. Sin ei  
caput praecideretur, botanicus falsum dixisset et oportebat  
eum suspendi.

Daniel Weissmann

# Aenigma

Amicae et amici!

Ecce aenigma dedicatum illae deae, quam nos omnes toto cor-  
de adoraremus, nisi alium deum nosceremus.

Si Hero et Leander locuti essent lingua Latina, Leander  
forte trans Hellespontem hoc anagramma mississet:

T A M E N   S E M P E R   N A T O

Quis interpretationem indicabit?

Anagramma est textus transformatus permutatione litterarum  
alphabeti.

Exemplum:

A H B X   A H B Y   A S T B U

=

D I E S   D I E M   D O C E T

(A=D, B=E, H=I etc.)

Valete!

Ernst Specker

Solutio aenigmatis in proximo libello monstrabitur!



## Facete lepideque dicta

### De connuptis (iam senioribus) felicibus

Quisquam maritus una cum muliere diem nuptiarum quinquage-  
simam celebrans a pastore sibi amicitia longa puraque con-  
iuncto interrogatus est, quomodo faceret, ut adhuc numquam  
cum uxore rixaret. Ad quae maritus: "Mihi cum ea semper  
bene convenit", inquit, "quod uxor mea ante meridiem semper  
facere solet, quae vult; egomet vero post meridiem semper  
facere soleo, quae uxor vult."



De sorte patrum immutabili

Aliquando aliquis infans noctu male dormiebat semper clamans. Quam ob rem pater infantis ab uxore omni nocte e somno excitabatur verbis his: "I, corcule, velim eas et videas, cur infans clamet!" Tum pater postquam permultas noctes tali modo pervigilavit, de sorte sua deploravit apud collegam operis (Arbeitskollege??), qui ei suasit, ut librum de infantibus male dormientibus curandis scriptum emeret et legeret. Librum emit et perlegit et ecce infans proxima nocte profecto leniter dormivit quasi lapis esset. Tamen pater ab uxore denuo e somno excitatus est, nunc autem verbis: "I, corcule, velim eas et videas, cur infans sileat!"

Udalricus Aeschlimann



...et ubi est, quaeso, aegrotus tractandus?"

Hans Haack

# SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:      secundum praemium:      tertium praemium:  
 Hans B. Bärlocher      Anna Jaeger-Fischer      P. Maximilian Saugé  
 Teufenerstr. 116      Bergstr. 7 A      Cordeliers / CP 16  
 9000 St. Gallen      6004 Luzern      1702 Fribourg

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

<sup>1</sup>	A	U	R	E	L	I	A
<sup>2</sup>	U	X	O	R	I	U	M
<sup>3</sup>	R	O	T	U	N	D	I
<sup>4</sup>	E	R	U	P	T	A	S
<sup>5</sup>	L	I	N	T	R	I	S
<sup>6</sup>	I	U	D	A	I	C	I
<sup>7</sup>	A	M	I	S	S	I	S



## AUSONIA, CIVILIS IURIS CUNABULA

Pravus discipulus repressus olim,  
quod pusis aliis noceret atque  
immanes faceret strepens tumultus,  
tales haud tolerans reprehensiones,  
armatus baculo petit magistri  
aedes, se simulans rosas ferentem;  
postes tum reserat tremens anilla,  
quam secum voluit nepos tenere;  
occultum subito scelestus ille  
depromptum properat vibrare fustem,  
percussu vetulam cruentat aegram.  
Dicunt Italicis plagis vigere  
ius coepisse quidem, Latina postquam  
gens orbem peragravit universum:  
nunc vix invenias apud ferinos  
Afros silvicolas minus pudoris.  
"Ignoscesne tuo cavens alumno,  
vitae restituatur ut redemptus?"  
Sic iudex rogat, adprobante cuncto  
consessu, quasi debeat magistro  
ascribi vitio scelus nefandum.  
Is cum se veniam neget daturum,  
non tantum puer absolutus exit,  
verum dignus habetur ipse doctor  
quem donent rude, muneri scholari  
impar utpote cum sit, ante tempus.  
O saeculum furiosum idemque stultum!

(Metrum: Catulli hendecasyllabi)

Orestes Carbonero

## De Bello inter Civitates Gesto Americano

(Relationis pars quinta et ultima)

Quae post bellum finitum acta sint

Bello confecto multi in civitates invaserunt meridianas homines septentrionales, qui numquam bellum participaverant. Minimi empserunt villas et latifundia, quae meridiani pauperrimi facti et servis spoliati colere non iam poterant. Praeterea meridianis tot vectigalia imponebantur, ut, etsi vendere nolebant, nihil eis restitit nisi domicilia vendere. Permulti sic de solo patrio fugati sunt et se in occidentem verterunt novam patriam quaesituri. Inter eos, qui omnia bello amiserant, etiam Robertus Eduardus Lee erat. Qui autem a schola quadam Lexintoniae (Lexington) in valle Senandoae fluminis sita vocatus est, cuius rector fieret. Per quinque annos Lee eadem industria et eodem ardore scholae praefuit, quo antea milites in hostem caeruleum duxerat. Anno denique 1870° diem obiit ultimum sepultusque est iuxta amicum suum familiarissimum et commilitonem maxime strenuum, Thomam enim 'Murum Lapideum' Jackson. Verba magna proferre audeo dicens toto in orbe terrarum numquam generales meliores fuisse, esse et fore his duobus. Qui enim non modo pugnandi erant peritissimi, sed pleni caritatis, benevolentiae, misericordiae, Christiani veri et sinceri.

Sherman, Sheridan alique generales septentrionales propter victoriam glorificati ex exercitu unionis decedere non debuerunt. Confoederatis victis alium hostem quaerebant - et inveniebant: Indiani, Americae indigenae, repugnabantur, opprimebantur, in regiones vastas et incultas vi et falsis promissionibus transportabantur. Qui si pro iuribus suis certare ausi erant, crudelissimo more ab equitibus caeruleis fugabantur et trucidabantur. Eadem, quae iam in Georgia valleque Senandoae commiserant, crimina iterum iterumque in Indianos facere solebant viri isti nefarii. Sherman dixisse fertur: "Rebelles atque Indiani non digni sunt, qui vivant!" Sheridae verba immo notiora sunt: "Tantum Indianus defunctus Indianus bonus est!" Quis credat tales homines pro libertate servorum Afrorum pugnassee? Cur pro salute nigrorum contenderent, si 'Pelles Rubras' - i.e. Indianos - tantopere oderant? Si re vera omnes homines

pares esse ac a deo paribus iuribus esse praeditos credidissent, non indigenas Americanos tamquam bestias feras tractassent. Ex his eventibus ergo bene cognoscendum est ducibus septentrionalibus non salutem servorum cordi fuisse, sed ipsorum divitias.

Quid autem ad servos ipsos? Servi pristini bello finito lege liberati et manu missi sunt omnes. Primum septentrionales divitiis meridianis potiendi cupidi Afris blandiebantur. Post autem nonnullos annos, cum milites se e civitatibus meridjanis adhuc occupatis recepissent meridianique ipsi civitates suas regere pergerent, Afri, quo se vertent, nesciebant. Multi ad dominos pristinos redierunt et ab illis laborem nutrimentaue petiverunt. Sed latifundia non iam exstabant, domini non habebant, quod servis pristinis darent. Alii vero nigri in septentrionem emigraverunt, quia ibi ab amicis benigne accipi et salutari se sperabant. At ibi non exspectati erant: Alia res est verbis contra servitutem certare, alia autem homines profugos accipere et nutrire! Operarii in magnis urbibus septentrionalibus viventes maxime timebant, ne nigri sibi laborem demerent, unde fiebat, ut servos pristinos vehementius fere odissent quam meridiani illi, qui se 'Cu-Clux-Clan' adgregaverant. Illud 'Clan', quod annis primis conditum erat ad vitam honoremque mulierum meridianarum defendendum, magis magisque instrumentum rassisticum fiebat. Multi meridiani, qui interitum confoederationis ferre non poterant, suppressi et despecti a victoribus septentrionalibus odio generis Africani incitabantur. Afros oderant et persequiebantur, quod Yancos persequi non poterant.

Sic servi pristini nec in meridie nec in septentrione amabantur et vitam haud minus miseram - immo miseriores! - degebant quam ante bellum, quo tempore servi a dominis saepissime tamquam amici tractati erant. Servus quidam iam inveterascens a praeside Johnson interrogatus, num libertate gauderet, respondisse fertur: "Eheu, domine praeses maxime venerabilis, quondam ridentes et cantantes ad laborem nostrum quotidianum exiimus, nunc autem nemo nostrum cupidine ridendi vel cantandi capitur!"

Civitates Unitae Americae Bello inter Civitates Gesto confecto in immensum creverunt: Indianis repulsis anno circiter 1880° unio patebat ab Atlantico Oceano usque ad

Pacificum. Ulixes Grant post Andream Jackson praeses factus est, sed praeses multo impotentior erat quam generalis. Non impedire poterat, quin Indiani trucidarentur, non prohibuit, quin a multis magistratibus corruptis circumdaretur. Attamen America potestas mundana facta est.

### Epilogus

Quid Bellum inter Civitates Gestum Americanum ad nos, qui vivimus plus centum annis post? Illud bellum magnum certamen erat inter duo principia fundamentalia: Meridiani pugnabant pro societate rurali, patriarchali, religiosa, iuncta cum caelo et terra, Deum colente eodem modo ac naturam. Septentrionales progressum technicum adorabant, pecuniam, possessionem. Qui non modo meridianos superaverunt, sed mox totus orbis terrarum eorum principibus regetur. Imprimis in terris nostris occidentalibus principia Yancia praevalent: Religio prostrata iacet, natura abusitatur et polluitur, homo homini lupus, scelera augentur, verecundia vitae diminuitur, omnia possibilia esse creduntur et, quod gravius est, licita. Quid, si confoederati victores abiissent? Nemo scit. Sed verisimile est mundum nostrum paululo meliorem esse. Quapropter verba ea repetere audeo, quae Robertus Eduardus Lee proelio Gettisburgensi finito protulit: "Miseriam! Quantam miseriam!"

Martinus Meier



## ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
5+6/93	122	excellens	excelles

FERIAE LATINAE NICENSES OCTAVAE

IN AEDIBUS SEMINARII DIOECESIS NICENSIS

C E L E B R A N D A E S U N T

A Dominica die 21<sup>a</sup> m. Augusti 1994, hora 17<sup>a</sup>  
ad Dominicam diem 28<sup>am</sup> m. Aug. 1994, hora 14<sup>a</sup>.

Sub auspiciis Operis Fundati Vaticani

"L A T I N I T A S"

Schedae inscriptionis rogandae erunt a :

M. Clément DESESSARD  
Résidence des Collines, C.9.  
500, rue Léo Brun  
F-06210 MANDELIEU

Tel. 93 49 01 91 vel 93 08 67 93



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Hier bitte frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)  
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
8050 Zürich

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

AZB

8050 Zürich

1/94

IDIBVS FEBRVARIIS

MCMXCIV



RVMOR VARIVS



TOMVS 17

FASC.102